



The Holy See

PIUS PP. X **EPISTOLA EXEUNTE ANNO*** DILECTIS FILIIS CAROLO KANTER ADLECTO INTER ANTISTITES
DOM. PONT.

ET MARCHIONISSAE ADELI PALLAVICINI PRAESIDIBUS PIAE SOCIETATIS "AB ALTARI",

IN QUINQUAGESIMO A CONDITA SOCIETATE ANNIVERSARIO Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. —
Exeunte anno quinquagesimo a condita pia Societate cui praesidetis, recte existimastis, quas dabatis nuper ad Nos
litteras, eas Nobis fore periuicundas. Etenim nihil sanctius, nihil salubrius esse potest, quam, quod vobis est propositum,
promovere cultum Sacramenti Augusti, simulque inopiae subvenire sacrarum aedium, ubi necessariae suppellectilis copia
desideretur. In hoc autem apparet plane eximiam valdeque fructuosam adhuc vestram industriam exstitisse. Vobis igitur
plurimum gratulamur, quin etiam gratias ingentes agimus, quod, vestram et communem foventes in Christum Dominum
pietatem, optime de Ecclesia sancta mereri consuevistis. Praeterea quod documento sit paternae in vos benevolentiae
Nostrae, vobis singulis, quotquot estis de ista Societate, damus, ut anno vertente, semel, quo die cuique liberit, modo
rite expiati Sancta de altari libaveritis, plenariam peccatorum veniam apud Deum impetretis. Quod reliquum est,
Societatem vestram, quam gaudemus late per Hungariae dioeceses iam esse propagatam, magnopere velimus ut
omnes boni opibus suis atque studiis iuvent. Auspicem vero coelestium munerum, vobis, dilecti filii, cunctisque vestris
sodalibus apostolicam benedictionem peramanter impertimus. *Datum Romae, apud S. Petrum die XXVII Februarii*

MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo. PIUS PP. X

*AAS, vol. II (1910), n. 5, p. 191.
